

facerem? Ita iubet Budaeus. Minus improbum arbitror ineptire quam tibi parum esse morigerum. Neque tamen haec dixerim, quod vllam ingenii dotem in tuis scriptis desyderem aut vlllo offendar incommodo. Primum enim admodum sim inciuilis, si me in corpore  
 275 tam specioso vnus aut alter neuus offendat. Deinde sic amo Budaeum vt etiam si quis inesset neuus, is meis oculis blanditurus sit. Neque tamen vsque adeo amore tui cecutio quin illud vere perspexisse me credam, nihil hactenus produxisse Gallias quod cum ingenii tui monumentis in certamen venire possit, et tamen omnibus a tergo  
 280 relictis cotidie temetipsum superas.

Bene vale *καὶ οἰκοδόμησον ἀγαθῇ τύχῃ*, vt summam vtorum habeas, et tu mihi aliquando gratulari possis *παγγρόσω*, ego tibi Lucullo. Bruxellae quinto Cal. Nouemb. anno M.D.XVI.

<sup>474</sup>481. FROM THOMAS MORE.

Deventer MS. 91, f. 163 v<sup>o</sup>.  
 LB. App. 87.

London.  
 31 October (1516).

[This was answered by a letter contemporary with Ep. 483; to which Ep. 499 is probably the reply. Cf. Ep. 499 introd.]

THOMAS MORVS DOMINO ERASMO SVO S.

RESCRIBO, mi Erasme, serius, quod certi aliquid scribere cupiebam de equo tuo ab Vrsuico; verum id vt possem ne adhuc quidem contigit, quoniam is in curam quandam suam multis ab vrbe millibus contulerat se, necdum redierat. Vbi venerit, quem indies  
 5 expectamus, res agetur sedulo. Pecuniam apud me depositiciam Aegidio nostro persolutam esse non dubito; nam litteras accepi a procuratore meo scriptas Antwerpiae, quibus scribit se protinus soluturum. Eas litteras quas olim ad me legendas misisti e Basilea, non potui committere huic tabellario; sed mittam tamen breui,  
 10 cum fuero nactus aliquem quem possim magno onerare fasciculo. Bedillus exhibuit mihi epistolam ab Episcopo Basiliensi ad Cantuariensem nec non eam qua respondit Archiepiscopus, vtramque

481. 2. promisso post Vrsuico add. LB: sed cf. Ep. 467. 7, et l. 8 n. infra. 3. curiam LB, perperam.

481. 3. curam] On 5 July 1516 Urswick had been appointed a commissioner of sewers for Middlesex, Essex, and Herts (Brewer ii. 2138); and that business may have called him away.

5. Pecuniam] Cf. Ep. 467. 10 n.

7. procuratore] Perhaps Berckman; cf. Ep. 491. 10.

8. e Basilea] must be connected with *litteras* (cf. l. 2 n.); for Epp. 499. 25, 6 and 502. 2, 3 show that these were letters received by Erasmus from his Basle friends. They were perhaps contemporary with Epp. 328, &c.; for Ep. 499 implies that they had been long in More's hands.

11. epistolam] Cf. Ep. 425. 33 n.

archetypam; sed hanc nimium archetypam, quippe ita expunctam atque interlitam, vt nisi ab eo qui scripsit legi omnino non possit, atque haud scio an ab illo etiam.

Litterae tuae atque item meae quibus hortabamur Lathimerum vt vnum aut alterum mensem viueret apud Roffensem, serius ad eum venerant, quippe qui iam decreuerat Oxoniam petere; quod vti tantisper differret, nullo pacto quiuit persuaderi. Scis huiusmodi philosophi quam immutabiles sibi met leges siue sua decreta (faciant); credo quod delectentur constantia. Placet ei vehementer tua conuersio Noui Testamenti, in qua tamen illi religiosior videris esse quam vellet. Non placet ei quod sabbati vocem reliqueris, et quaedam talia, quae tu mutanda aut non censuisti aut non es ausus. Sed ille nullum prorsus verbum admittit quod Romanis auribus fuerit insolens. Laudauit iudicium eius quatenus Hebreorum res ac ritus paterentur. Caeterum sum hortatus (id quod facturus videtur) vt singula verba quae ille aliter verti voluisset, adnotata ad te transmitteret cum iudicio suo. Hoc studio eius scio te vehementer gauisurum.

Sed alii sunt, Erasme charissime, qui coniurarunt apud nos haud simili animo tua scripta perlegere; quorum tam horrendum consilium me sollicitat. Itaque ne properes edere quae nunc edidisti quoniam serum est consulere, hoc saltem tibi pro mea in te fide ac sollicitudine suadeo te quaesoque atque obtestor, vt celeriter ita recenseas atque emendes omnia, vti minimum vsquam locum relinquant calumniae; quippe cuius occasiones omnes acutissimi quidam viri decreuerunt et peruestigare diligenter et libenter auideque arripere. Qui sunt, inquis, hi? Nominare profecto vereor, ne tibi concidat animus terrore tam potentium hostium; sed dicam tamen, quo fias videlicet cautior. Summus ille quem nosti theologus Franciscanus, cuius tu honorificam fecisti mentionem in editione Hieronymi, inita coniuratione cum lectissimis viris eiusdem ordinis et farinae constituit contra tua, si qua inuenire possit, errata scribere. Atque id quo possit facilius fieri atque efficacius, coniura-

19. huiusmodi philosophi . . . 20. siue corr. Erasmus ipse pro hominibus philosophis . . . sint a prima manu scriptum.

16. Litterae] Cf. Ep. 468. 10 n.

22. religiosior] This opinion doubtless had weight with Erasmus when he adhered more closely to his original translation in the second edition of the New Testament; cf. p. 183.

27. facturus] But cf. Ep. 520. 9, 10 and 85-7.

42. Franciscanus] Cf. Ep. 337. 676-84. The antagonist is usually identified

with Henry Standish, later Bp. of St. Asaph; and this is probably correct. But Birkhead (Lond. xv. 14, LB. 435) is also a possibility. The incident cannot have occurred later than 1514, for Mountjoy is said to have been in London shortly afterwards; and he left England c. Jan. 1515 to take up the lieutenancy of Tournay (Brewer ii. 126).

uerunt partitis inter se tuis operibus, quum singula curiose perlegerint, nihil inde prorsus intelligere. En vides quantum discriminis impendet tibi; contra curandum est pro magnitudine periculi tuas vt compares copias. Profecto, Erasme, in nocturno quodam  
 50 senatu sic statuerant bene madidi. Verum postridie, vt audio, vbi villum edormierant, obliti puto propositi sui oblitteratoque decreto quippe quod vino inscripserant, destiterunt cepto atque a legendo se ad mendicandum rursus rettulerunt; quam rem ipso vsu longe sibi comprobassent vtilius.

55 Epistolae Obscurorum Virorum operae precium est videre quanto-  
 pere placent omnibus, et doctis ioco et indoctis serio, qui, dum ridemus, putant rideri stilum tantum; quem illi non defendunt, sed grauitate sententiarum dicunt compensatum et latere sub rudi vagina pulcherrimum gladium. Vtinam fuisset inditus libello alius titulus!  
 60 profecto intra centum annos homines studio stupidi non sensissent nasum quanquam rinocerotico longiorem.

Nusquamam nostram gaudeo probari meo Petro; si talibus placeat, incipiet placere et mihi. Cupio scire an Tonstallus probet, an Buslydius, an Cancellarius vester; quibus vt probetur supra  
 65 votum est, hominibus tam felicibus vt in his rebus publicis suis primos ducant ordines, nisi eo propicientur quod in illa republica nostra illi tales viri, litteris ac virtute tanti, principes plane essent futuri; quum in suis quanticumque sint (sunt sane magni) magnos tamen habeant nebulones authoritate ac potentia pares, vt ne dicam  
 70 superiores. Nam eo non credo moueri tales viros, quod ibi non essent multos habituri subditos ac subiectos, quomodo nunc reges populum vocant, hoc est plus quam seruos, quum tanto sit honorificentius imperare liberis, ac longe absint tam boni viri ab ea inuidia vt optent male esse aliis, quum sibi sit bene. Spero igitur fore vt illis  
 75 etiam placeat opus nostrum; quod mirum in modum cupio. Quod si contrariam penitus infixit persuasionem illis fortunae suae felicitas, mihi habunde suffecerit tuus calculus ad iudicium meum. Nos duo turba sumus apud animum meum; qui mihi videor feliciter posse tecum quauis in solitudine viuere.

80 Vale, Erasme dulcissime mihi que oculis charior.

Impetraui a Maruffo litteras benigniores; hoc mihi visum est et expeditius et consultius quam de ea re iterum sollicitare Episcopum. Non quin is libenter etiam de quauis re audiat, quae quidem ad te pertineat; sed malo tamen ab eo maiora.

85 Londini antelucanis horis festinanter pridie omnium diuorum.

55. Epistolae] See p. 152.

63. Tonstallus] Cf. Ep. 499. 35-9.

64. Cancellarius] Le Sauvage; see

p. 240.

77. Nos duo] *Ov. Met.* i. 355.

82. Episcopum] Cf. Ep. 388. 58 n.